

Tabien., verb. *Beneficium*, 2, n. 16, et Sayrus, tom. 1 Thesauri, c. 11, n. 8, in fine. Et solet probari hæc assertio ex c. *Si cui nulla*, de Præbend., in 6, quia ibi dicitur gratiam concessam ad providendum de beneficiis, nulla facta personarum expressione, non expirare per mortem concedentis, etiam re integra; facultatem autem gratiose concessam alicui, super provisione certæ personæ faciendæ, expirare per mortem concedentis, si res sit integra. Hinc ergo colligitur communiter hanc facultatem ad dispensandum datam pro certa persona vel personis non esse favorabilem, sed stricti juris, quo argumento in materia de voto usus sum. Unde, quia in illo textu non absolute, sed cum limitatione id dicitur, scilicet, *si non ob suum*, id est, ejus cui facultas datur, sed ejus cui provideri mandatur, gratiam, vel favorem; ideo etiam solet limitari assertio nostra, ut procedat quando commissio dispensationis facta est in gratiam personæ dispensandæ: secus vero esse, si in gratiam personæ dispensantis, seu dispensaturæ, quia in dicto textu hic casus non excipitur, sed potius per argumentum a contrario conceditur, ut etiam tum gratia non expiret, vel etiam quia exceptio particularis firmat regulam in contrarium: ergo, etiam in præsentibus, licet in facultate dispensandi exprimat personam cui danda est dispensatio, si tamen data est in favorem ejus cui conceditur, erit favor ampliandus. Atque ita referendo aliquos tenet Sanc., dicto lib. 8, disp. 2, n. 6. Censetur autem dari facultas in gratiam dispensandi, quando non obtinetur ad petitionem dispensandi, sed ipsiusmet commissarii, vel quando ex aliis verbis concessionis id sufficienter colligitur. Alioquin in casu dubio quoties facultas datur pro personis nominatis, præsumitur favor earum, et ideo restringendus.

8. Sed, ut verum fatear, non satis capio rationem hujus distinctionis. Cur enim eadem facultas dispensandi data in favorem dispensaturæ favorabilis est et amplianda, et data in favorem ejus cui concedenda est dispensatio non est favorabilis, sed odiosa, et restringenda? Nam illa facultas in se eadem est, et semper habet illos duos respectus, et fieri potest ut persona indigens dispensatione non sit minus digna illo favore quam persona volens dispensare. Imo, petitio illius facultatis ex parte personæ indigentis dispensatione videtur magis favorabilis, quia est personæ indigentis, et sub ea ratione miserabilis, et humiliantis se, ac confitentis fortasse defectum suum. Petitio

vero activæ dispensationis facta ab ipso qui dispensaturus est videtur magis ambitiosa, nisi principaliter fiat in gratiam ejus cui subvenire desiderat, et tunc etiam censeri potest gratia principaliter facta illi cum quo dispensandum est. Vel certe, licet fiat ipsi delegato, non apparet cur sit magis favorabilis quam facta indigenti dispensatione, præsertim quando utroque modo facultas conceditur ad usum voluntarium ipsi commissario. Nam tunc talis facultas data ex intentione conferentis propter commodum dispensandi, non magis continet virtutalem dispensationem quam data in favorem dispensantis; ergo vel utroque modo restringenda est, si reputatur virtualis dispensatio, vel utroque modo est amplianda, si talis non existimetur, sed solummodo potestas dispensandi.

9. Secundo, dictum caput *Si cui nulla* non videtur recte in contrarium induci, quia longe aliud est gratiam esse mansuram, vel non esse mansuram mortuo concedente, re integra; aliud vero esse favorabilem, aut restringendam in aliis quæ ad durationem non pertinent; a diversis autem non recte fit illatio, maxime quando neque sunt necessario connexa, neque ex eisdem principiis oriuntur. Talia autem sunt illa duo: nam mandatum dispensandi cum tali supplicatione necessaria (ut vocant) permanet mortuo mandante, etiam re integra, ut probabilior opinio fert, quam late defendit Sanc., dicto libro 8, disputat. 28, n. 72; et nihilominus stricti juris est, ut in prima assertione ostendi, et fatetur idem Sanc. supra cum aliis; ergo illæ duæ proprietates, scilicet, indultum durabile esse post mortem concedentis, et esse favorabile, vel e contrario expirare per mortem, et esse restringendum, non sunt connexæ, per se loquendo; ergo, licet facultas dispensandi cum persona expressa, data in gratiam delegati, sit permanens, non sequitur esse late interpretandum: et e contrario, licet eadem facultas, data in gratiam ejus cum quo est dispensandum, non sit permansura, non sequitur ex vi illius proprietatis esse restringendam: et ratio est, quia illa duo possunt oriri ex diversis principiis; nam gratia habet quod non expiret, ex eo quod est plene facta ante mortem concedentis; unde, sive sit favorabilis, sive exorbitans, permanebit, si plene fuit concessa: e contrario vero, quando gratia est in fieri, et non plene facta ante mortem concedentis, censetur expirare, si re integra concedens moriatur, quod etiam habebit, etiamsi favorabilis sit. Ut con-

stat de mandato conferendi alicui, et in favorem ejus, beneficium, vel gratiam quantumvis favorabilem ex parte materiæ, et aliarum circumstantiarum; nihilominus tamen expirabit per mortem concedentis, re integra, juxta dictum cap. *Si cui nulla*. Ergo, licet ex illo textu colligatur mandatum providendi tali personæ, vel dispensandi cum illa, factum in favorem executoris non expirare, non sequitur esse late interpretandum in aliis; et e contrario licet factum in gratiam providendi expiret in dicto casu, non sequitur esse restringendum in aliis, nec in se odiosum esse, nisi aliunde id ostendatur.

10. *Cur facultas dispensandi cum certa persona sit stricti juris.* — Ratio ergo ob quam facultas dispensandi cum persona in particulari expressa stricti juris censetur, non est quia facultas illa datur in gratiam indigentis dispensatione, vel in favorem delegati, sed quia moraliter perinde reputatur ac ipsa dispensatio: nam quod est ex parte superioris jam fit dispensatio, licet executio et modus alteri committatur; quod autem hæc commissio fiat in favorem commissarii vel alterius, non mutat naturam actus, nec moralem illam æquivalentiam seu æstimationem. Nec etiam multum refert quod illa commissio fiat cum mandato dispensandi, vel cum libera facultate, quia respectu legis idem odium continet talis commissio: nam eodem modo illi derogatur, licet intercedente mandato riguroso ex parte superioris efficacius fieri videatur. Atque ita Felin., dicto cap. ult. de Simon., n. 8, limitat. 3, generaliter docens esse dispositionem odiosam, quoties persona cum qua est dispensandum nominatur; rationem reddit, quia tunc non est una simplex facultas dispensandi, sed quasi dispensatio in esse producta, solam executionem spectans. Et hæc ratio ex dicendis in sequenti assertionem magis declarabitur.

11. *Potestas dispensandi in aliqua lege generalis sine expressione personarum favorabilis est.* — Dico tertio: delegatio potestatis dispensandi in aliqua lege generaliter facta quoad personas sine illarum expressione favorabilis est, et late interpretanda. Hæc est communis sententia juris canonici interpretum in eisdem locis, scilicet, dicto § *de Adulteriis*, et dicto c. ult. de Simon., et doctorum juris civilis in leg. *Gallus*, § *Et quid si tantum*, ff. de Lib. et post., et in leg. 2, ff. de Verb. obligat.; et alia referunt Covarrus in 4, p. 2, capite 8, § 8, numero 6 et sequentibus; et Sanc., libro 8, disput. 2, num. 1. Solet etiam hæc assertio

probari ex cap. ult. de Simon., et cap. *Per venerabilem*, Qui filii sint legit.; sed in his locis non videtur esse sermo de potestate delegata, sed de potestate ordinaria, maxime in c. *Per venerabilem*; nam de alio potest esse controversia, quam omitto, quia hæc assertio magnitudo ratione et communi sensu doctorum prudenter judicantium hanc potestatem sic concessam esse favorabilem. Possumus vero ex illis textibus sic argumentari, quia potestas ordinaria ad dispensandum in lege non censetur odiosa, sed favorabilis et amplianda; ergo etiam potestas concessa dignitati ex privilegio, vel per legem juris communis, est favorabilis, quia jam est ordinaria, ut supra dixi; ergo etiam potestas delegata generaliter ad dispensandum est favorabilis. Probatur consequentia, primo, quia modus concessionis per delegationem, vel per legem, aut viam ordinariam, non variat rationem potestatis, sed solum pluribus conceditur, et pluribus modis; hoc autem non facit illam odiosam, si secundum se favorabilis est. Secundo, quia ideo illa potestas ordinaria favorabilis est, quia non est contra jus, sed potius secundum jus, nec per se potest censeri odiosa aut nociva, cum sit simpliciter necessaria ad commune regimen, et ad convenientem usum legum: sed potestas etiam delegata generaliter non est contra jus, nec alicui nocet, sed ad commune etiam commodum ordinatur; ergo similiter est favorabilis. Tertio, per hanc potestatem sic concessam per se primo solum intenditur favor communitatis, et illius cui talis potestas communicatur, quod totum est beneficium principis; ergo est late interpretandum. Et hinc etiam intelligitur differentia inter potestatem generatim concessam, vel per respectum ad expressam personam; nam prior non respicit bonum privatum, sed commune, posterior vero necessario respicit privatum commodum cum exceptione a communi jure, et ideo hæc posterior ex se est invidiosa et restringenda, prior vero minime.

12. *Differentia inter potestatem generatim concessam et per respectum ad privatam personam.* — Jam vero occurrebat hic explicandum quomodo hæc restrictio vel extensio faciendæ sit in rescriptis has delegationes continentibus. Sed hæc materia coincidit cum simili de privilegiis, et ideo libro 8 ex professo tractabitur. Nunc solum dico, in hac ultima assertionem extensionem potissimum faciendam esse contra delegantem; nam si contingat delegationem esse in præjudicium tertii, aut minuere aliquo modo jurisdictionem ordinarii Prælati,

quando delegatio fit a superiori et remoto, tunc ex hac parte poterit restringi concessio: et ita docent auctores omnes citati. In reliquis vero constat, verborum proprietatem retinendam esse, et intra illam tantum esse ampliationem faciendam, juxta principia posita in cap. 2 et 3, quæ in præsentibus etiam applicari possunt. Tandem in usu hujus potestatis servanda est forma rescripti, ut, si persona sit eligenda, habeat omnes qualitates quæ in rescripto postulantur; si vero jam est electa, vel in rescripto est determinata, ipsa servet in dispensando formam in rescripto traditam: nam si excedat fines mandati, nihil faciet, juxta dicta supra in lib. 5, quæ latius ad materiam de Privilegiis in libro 8 applicabimus. Et multa etiam dixi in libro 6 de Voto, capite 16.

CAPUT XVIII.

UTRUM AD JUSTAM DISPENSATIONEM CAUSA JUSTA NECESSARIA SIT.

1. *De causa finali dispensationis.* — Incipimus dicere de finali causa dispensationis, a fine enim maxime sumitur justa dispensationis causa. Hæc autem causa postulari potest vel ad honestatem actus dispensandi, scilicet, ut licite petatur ex parte subditi, et juste etiam ac licite ex parte superioris concedatur, vel etiam ad valorem dispensationis, et usus ejus. Nunc ergo solum de justitia seu honestate agimus; in sequenti vero capite de valore dicemus. Intelligitur autem quæstio præcipue de ipsomet legislatore dispensante in lege sua, inde enim a fortiori constabit resolutio de inferioribus dispensantibus in legibus superiorum per potestates sibi commissas: nam si superiori non licet talis dispensatio, multo minus licebit inferiori, ut a fortiori ex sequenti capite patebit.

2. Ratio ergo dubitandi generalis esse potest, quia, si justa causa esset semper necessaria ad dispensandum, non esset necessaria auctoritas superioris dispensantis. Probatur consequentia, quia justa causa per se est sufficiens ad excusandum ab obligatione legis humanæ, de qua tractamus. Vel certe ad summum esset necessarius actus superioris per modum interpretationis authenticæ, ut constet talem causam esse justam, et sufficientem ad excusandum a lege, ipse vero superior non tolleretur obligationem, et consequenter non dispensaret. Secundo, est specialis ratio dubitandi in ipso legislatore, quia lex sola illius voluntate posita est; ergo per eandem auferri potest li-

cite absque alia causa. Probatur consequentia, tum quia superior est dominus suæ voluntatis, tum etiam quia non subditur legi, tum denique quia potest sua voluntate totam legem auferre; ergo etiam ex parte. Tertio, quia dispensare sine causa in lege non est intrinsece malum, nec est malum quia prohibitum, respectu legislatoris; ergo nullo modo. Major patet, tum ex usu, quia Papa sæpe dispensat sine causa, idque scienter et expresse, non est autem præsumendum male facere; ergo signum est illud non esse intrinsece malum, alias nunquam liceret; tum etiam quia nulla potest assignari virtus cui intrinsece repugnet talis actus, non est enim contra justitiam vel contra charitatem, quia talis dispensatio prodest accipienti, et nemini est nociva. Altera vero pars patet, quia vel hoc est prohibitum per eandem legem in qua fit dispensatio, et hoc non, quia tantum obligat circa suum actum, quem prohibet vel præcipit; unde dici non potest legislator transgredi legem in qua sine causa dispensat, quia non agit contra obligationem ejus, sed tollit illam; vel hæc prohibitio est per aliam legem positivam, et hoc etiam dici non potest, quia nulla talis assignari potest, præsertim respectu ipsius principis, seu legislatoris.

3. *Dispensare sine causa an sit licitum.* — Propter hæc opinari posset aliquis non esse (per se loquendo) peccatum dispensare in propria lege sine causa, sed ad summum ex accidenti, quando id generaret scandalum vel perturbationem in republica, aut daret occasionem aliis subditis violandi legem, aut si ob talem dispensationem gravamen injustum in alios redundaret, quæ omnia extrinseca sunt, et separari possunt a tali actu; hoc ergo modo reputari potest ille actus per se non malus, sed indifferens, ac subinde honestari posse ex quocumque alio fine, sine justa causa quæ specialem rationem præbeat dispensandi. Sicque aliqui auctores dixisse videntur in supremo principe non esse necessariam causam ad dispensandum, Gloss. ult. in l. *Relegati*, ff. de Pœnis; nam, cum lex dicat neminem posse dispensare in pœna exilii, nisi imperatorem ex aliqua causa, addit Gloss.: *Magna et justa causa est ejus voluntas*, quam ibi Bart. approbat, n. 4. Eandem opinionem videtur tenere Innoc. in cap. *Cum ad monasterium*, de Statut. Monachor., n. 3 et 4, quem alii ibi sequuntur, et Panormitan. in cap. *Diversis*, de Cleric. conjug., n. 4, in cap. 2 de Schismat., n. 4; Dec. in cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de Constit., n. 29; Rosel.,

verb. *Dispensatio*, n. 6; Felin., referens plures in cap. 2 de Constitut. fallent., 4, n. 23; ubi Anton. de Butrio dixit solam liberalitatem Papæ sufficere pro causa dispensationis; quod approbat Felin. in cap. *Ad audientiam*, 2, de Rescript., n. 4, qui clarius quam alii declarat hanc sententiam procedere non solum in foro contentioso, sed etiam in foro conscientiæ; existimo tamen etiam in hoc committi æquivocationem, ut infra dicam. Citatur etiam Turrecrem. in cap. *Singula*, 89 dist., n. 14, circa finem, et plures alios pro hac sententia refert Sanci., l. 8 de Matrim., disp. 18, n. 2. Verumtamen hi auctores, si attente legantur, non tractant punctum hujus quæstionis, an possit legislator licite, sed simpliciter an possit dispensare in sua lege sine causa, et hoc modo affirmant, et interdum declarant, talem dispensationem reddere tutum dispensatum apud Deum et in conscientia, ut patet ex Felin. supra, et Sylv., verb. *Dispensatio*, q. 13; Angel., n. 3; et Palud. 4, d. 38, quæst. 4, art. 4, n. 4. Existimo ergo vel nullos vel certe paucos auctores tenuisse sententiam illam in dicto sensu, quod est maxime attendendum, ne alicui propter auctoritatem tot doctorum probabilis fortasse videatur.

4. *Requiritur causa justa ut licite dispenset, etiam princeps supremus, vel summus Pontifex.* — Dicendum ergo est legislatorem, etiamsi princeps supremus vel summus Pontifex sit, non posse licite dispensare in lege sua sine causa justa, vel proportionata legi in qua dispensat. Est communis theologorum; tenet D. Thomas 1. 2, q. 97, art. 5; Cajetanus, q. 96, art. 4, et alii expositores ibi; et Soto, l. 1 de Just., q. 7, art. 3. Ex juris autem peritis idem declarant Hostiens. in Sum., tit. de Filiis Presbyt., in fine, verb. *Non omilto*; Panormitan., in cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de Constit., n. 17, et c. *Extirpandæ*, § *Qui vero*, de Præbend. in repet., n. 44, et in cap. *Per venerabilem*, qui Filii sint legit., n. 4, ubi ita exponit sententiam Innoc. supra allegatam, et dicta doctorum qui illum sequuntur. Idem ex professo Turrecrem., sententiam D. Thom. ad litteram sequens, in cap. *Consequens*, dist. 11; Rebuff. in Concordant., tit. *Forma mandati*, verb. *Dispensationes*, et in Praxi, tit. de Dispens. in plural. benef., n. 55, ubi n. 56 dicit hanc esse communem sententiam theologorum, et fere omnium juris canonici interpretum; et idem tenet Navarr. in c. *Si quando*, de Rescript., except. 8, n. 13, et alii communiter, quos supra Sanc. refert, n. 3; et in sequentibus alios designabimus.

5. *Glossa supra allegata rejicitur.* — Atque hæc sententia est consentanea juri canonico, 1, quæst. 7, cap. *Necessaria*, et sequentibus, ubi tunc solum permittitur a Patribus dispensatio, quando justa causa intercedit: et dicitur, illa cessante, debere etiam indulgentiam cessare, ibidem in c. *Quod pro remedio*. Multum etiam juvat Trident., sess. 25, cap. 18 de Reform., ubi indicat dispensare sine justa causa nihil aliud esse quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Et ideo, sess. 24, c. 5 de Reformatione, statuit ut in contrahendis matrimoniis dispensationes non dentur, nisi ex causa. Secundo, consonat dicta lex *Relegati*, de Pœnit., nam, de imperatore dicens posse dispensare in pœna jure imposita, addit *ex causa aliqua*; perperamque addidit Glossa voluntatem principis esse magnam causam: nam per se manifestum erat imperatorem non dispensare, nisi ex sua voluntate; ergo lex illa ultra voluntatem requirit causam. Nisi forte Glossa illa intelligatur de voluntate rationabili; nam hæc causam involvit. Ad idem induci potest lex 4 in princip., ff. de Damn. infect., quatenus dicit prætorem *posse definitum terminum ex causa dare*.

6. Tertio, ac præcipue probatur assertio ex naturali jure, quod D. Thomas colligit ex verbis CHRISTI, Luc. 12: *Quis putas est fidelis dispensator et prudens*. Nam princeps, etiamsi sit auctor legum, non est dominus (ut sic dicam), sed dispensator illarum; ergo, etiam quando in illis dispensat, se gerere debet ut fidelis dispensator et prudens, et non ut absolutus dominus. At, si absque causa unum vel alium liberet ab obligatione legis, nec prudenter nec fideliter dispensat; ergo abutitur suo munere, et peccat. Primum antecedens probatur, quia Pontifex vel etiam rex non est absolutus dominus communitatis sibi subditæ, sed pastor et rector, et ideo non potest leges ponere in suam privatam utilitatem, sed pro communi civium utilitate, ut supra dictum est; et propterea legislatores a Paulo vccantur ministri, et dispensatores Dei; ergo ipsa legislatio est quædam fidelis administratio, seu distributio obligationis quæ per legem imponitur. Prima vero consequentia probatur, quia ejusdem potestatis est in legislatore actus dispensandi in lege, cujus est actus ferendi legem, ut constat; ergo est actus non domini absoluti, sed administrationis, et (ut ipsum nomen præ se fert) est actus dispensatoris, ut sic; ergo etiam debet esse fidelis et prudens. Quod autem dispensatio sine causa facta non